



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 11. Exercitus Foederati progressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. XI.

Exercitus Fœderati progressus.

Præplacuit etiam Fœderatis Ducatum
mox invadendi consilium: unde ad
Pontem - vicum usque processerunt, Gal-
lorum exercitu nequidem hostis sui con-
spectum sustinere auso; una enim omnes
motis castris, præcipiti fuga, totoque
pedum studio Picelonem profugi secus
Abduam substiterunt, spe freti, copias
ex urbe Bononiensi accitas, peditesque
Mediolani conscriptos brevi adfuturos.
Verum speratæ peditatus suppetiæ Pali-
cium expectatione sua frustrabant, cum-
que, ne exercitus sui vires minueret, non-
nisi Cremonensem arcem, urbe præsidis
destituta, firmasset, cives ultro portas
suas fœderatis aperiebant, quadraginta
Ducatorum millium mulcta deprædatio-
nis calamitatem redimentes. Post hæc
Cremona Maximiliano Sfortiæ, qui Lu-
dovici non ita pridem in Lochiæ castro
Duodena captivitate contabescentis Fi-
lius erat, fidelitatis sacramentum exsol-
vit, læsis Venetorum juribus, qui ex
societatis fœdere hanc urbem sibi reddi
postulabant; his tamen Helvetii, & Pon-
tificii exercitus Duces obfistebant, quibus
etiam Respublica cedere cogebatur. In-
terea cum Bergomenses paucis ex post

post diebus Cremonensium exemplum imitarentur, Palicius etiam Piceloni castris excedere, ac Abduam denuo transire compulsus est, Papiam petiturus: ejus tamen copias Fœderatorum exercitus sine intermissione lacessebat, illisque vix Mediolanensem ditionem ingressis, singulorum studia contra Gallos exardescabant, omnesque urbes, quas Victores pertransibant, summis lætitiæ signis eos exceperunt; nulla tamen urbs Cæsari fidei sacramentum persolvebat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

Pizzigitone

§. XII.

Galli Mediolano amisso Papiæ ad Palicium veniunt.

Trivulcius Marecallus Mediolani securitati suæ haud ultra consultum iri prospiciens, arce annona bellicque apparatu prius munita, Papiam ad Palicium contendit. Hunc sequebantur Itali & Galli, comitantibus eos Cardinalibus, & Pisani Concilii Præsulibus, qui secum quoque trahebant in Ravennatensi prælio captos, ex his tamen Cardinalis Medicæus libertatem suam prospera fuga redemit: Cum enim maturo satis tempore Carim advenisset, priusquam quieti indulgeret, custodes flumen trajicere eum jubebant, ille autem, cum fugam meditaretur, ac ipsa loci opportunitas id suaderet,

deret,